

gulas residui fractiones more consueto, & producetur æquatio, eisdem correspondens minutis. Cum qua agendum erit pro ut indicat eius titulus, adde uidelicet, aut subtrahe. Si etiam hanc omiseris æquationem, modicum inde digni erroris nascetur.

Si etiam contigerit motum in tabulam mittendum aliquid esse in signis, & nihil in gradibus, eo casu unum ex signis in 30 gradus resoluatur, & fiat ingressus cum remanentibus signis ac 30 gradibus more supra tradito. Quodcumque circa æquationem repertam in tabulis differentia fuerit nulla. Tunc ipsa æquatio de facto æquata habetur, quare cum ea agatur iuxta notam appositam. Si in minutis proportionalibus nihil fuerit diuersitas diametri, quæri non debet, & ob id solum per æquationem argumenti æquatam motus finaliter rectificandus erit. Nam tunc æquatio primo examinata, erit etiã æquatio secundo examinata. Et tunc centrum epicicli Lunæ, cum de Luna agitur, erit in auge deferentis, uel ualde prope. Si. o. de diuersitate diametri inueneris, quoniam tunc minuta proportionalia, nullius erunt operis. Tunc etiam æquatio primo examinata, erit etiã æquatio secundo examinata, & centrū corporis Lunæ, erit tunc in auge uera, uel opposito augis uere epicicli, & ex consequenti, erit argumentum uerum, 0 aut 6 signa præcisæ. Si minuta proportionalia fuerint 60. tunc tota ipsa diuersitas æquata absque ulla uariatione loco producti accipiatur, addaturque uel abijciatur æquationi argumenti æquatæ, & habebitur æquatio argumenti secundo examinata. Quoniam tunc centrū epicicli, est in opposito augis deferentis, uel ualde prope &c.

De Genzahar Lunæ. Propositio XIII.

Verum locum Genzahar Lunæ reperire. Genzahar Lunæ dicitur punctus eccentrici Lunæ, qui existit sub ecliptica, de quo altera medietas dicti eccentrici ad septentrionem, altera uero austrum uersus incipit declinare, quem uulgo caput draconis dicimus. Cuius tamen uerus locus facillime quæritur. Inuento namque medio motu eius per 1 ad tempus oblati, quo de 12 sig. subtractis, residuabitur uerus locus Genzahar Lunæ. Et in gradu huic opposito, uerus locus caudæ eiusdem draconis in zodiaco collocatur.

De planetarum passionibus. Propo. xv.

Latitudinem Lunæ per tabulas inuenire. Per uerum argumentum seu æquatam latitudinis Lunæ sua latitudo quæri debet, sed illud duplici uia inuestigabitur. Nam subtracto uero motu capitis, de uero motu Lunæ, aut addito uero motu Lunæ cum capitis motu æquali, argumentum latitudinis Lunæ uerum prodibit. Intra igitur cum hoc argumento tabulam latitudinis Lunæ, quærendo signa in fronte uel calce tabulæ, gra-

C 3 dus